

Sequitur distinctio 37.

Circa distinctionem 37, in qua Magister tractat qualiter Deus per suam immensitatem est ubique et in qua inquit ubi erat Deus ante mundi constitutionem, quero utrum Deus sit actualiter extra celum presens spatio infinito imaginario. Quod sic, quia Deus intelligit intuitive et distincte huiusmodi spatium infinitum extra celum, quia etiam nos intelligimus illud confuse, igitur est actu presens illi. Probatio consequentie, quia omne obiectum actu intellectum a Deo est actualiter presens Deo, nisi illud obiectum sit figmentum, vel nisi sit tantum in potentia. Sed huiusmodi spatium non est figmentum, quia mundus iste actualiter est in quadam portione illius determinata intellectualiter acceptibili et significabili. Non est etiam tantum in potentia, quia non solum possibile est esse spatium vacuum extra celum. Sed etiam actualiter ponitur actualitate correspondente tali intelligibili privativo, quomodo dicitur aliquis actu cecus, vel cecitas actualiter convenire ceco, et quomodo diceretur actualiter locus esse vacuus. Contra: quia frustra ponitur actu esse presens ubi nihil agit, nec egit, nec aget. Esset enim ibi otiose. Primo inducentur rationes propter quas diversi tenent partes oppositas questionis. Secundo respondebitur.

Quantum ad primum arguitur quod Deus sit actualiter presens illi spatio infinito extra celum. Probatur sic: Deus ante mundi creationem erat actu in huiusmodi spatio infinito imaginabili, igitur et nunc est. Consequentia patet, tum quia non est ratio negandi nunc magis quam tunc, tum quia propter creationem mundi non deseruit illa spacia, alioquin mutatus fuisset. Antecedens probatur, quia ante mundi creationem Deus erat actualiter, igitur in toto huiusmodi spatio vel in aliqua portione, seu differentia illius per imaginationem acceptibili et significabili. Non enim videtur intelligibile quod aliqua res actualiter existat, quin sit in aliquo situ actuali vel potenciali et imaginario finito, vel infinito. Non potest autem dari quod esset in finita portione illius spatii, quia non est maior ratio de una portione quam de alia, igitur erat in toto. Secundo, Deus ante mundi creationem erat in spatio in quo nunc imaginamur mundum, et cui nunc esse presens imaginatur mundus et intelligitur, igitur et nunc est, et ab eterno erat in spatio extra celum. Consequentia probatur, quia si ante mundi creationem erat ubi nunc est mundus. Hoc non erat, quia ibi esset aliqua creatura, sed quia ibi poterat creare, igitur cum nunc et ab eterno posset consimiliter creare mundum istum vel alium in spatio extra, sequitur quod non minus est ibidem quam esset ab eterno presens isti spatio in quo nunc intelligitur mundus esse. Antecedens

probatum primo, quia si prius non erat presens isti spatio, et modo sit presens, igitur in creatione mundi mutatus. Secundo, quia Deus agere mundum in hoc spatio, presupponit Deum esse in hoc spatio, et prius naturaliter est Deus hic quam agat hic et prius naturaliter est in aliquo spatio quam agat ibi. Probo, quia sicut Deum agere ad Deum esse, sic Deum agere in aliquo spatio ad Deum esse in illo spatio, sed Deum agere presupponit Deum esse, igitur etc. Tertio, Deus posset nunc creare aliquod corpus extra celum, igitur iam actualiter [328b]preexistit ibidem. Consequentia probatur, tum quia esse illic preexigitur et intelligitur huic quod est agere illic, tum quia si modo non sit illic et fieret noviter illic, sequitur quod mutaretur localiter. Consequens est falsum secundum Magistrum, distinctione ista capitulo penultimo, Deus enim est omnino immutabilis localiter. Et Augustinus octavo super Genesim, capitulo ultimo. Non debemus opinari substantiam Dei temporibus locisque mutabilem, ac per tempora et loca mobilem. Consequentia probatur, quia illud mutatur localiter, quod nunc est alicubi et prius non erat ibi, sed alibi et quod incipit esse noviter ubi prius non erat et definit esse ubi prius erat, et quod transit de situ in situm. Sic autem esset, si Deus crearet alium mundum extra celum, et anihilaret mundum istum, tunc inciperet esse presens illi spatio extra celum, et desineret esse presens illi spatio in quo intelligitur mundus iste nunc esse. Dices: Deus non mutabitur, sed sit ibidem noviter presens per mutationem, et novitatem realem corporis, et per novam positionem corporis ibidem. Contra: si Deus sit ibi noviter solum ratione corporis et per mutationem, vel novitatem corporis, et propter novam positionem corporis ibidem, sequitur quod prius naturaliter est ibidem corpus illud quam Deus. Consequens est falsum, tum quia cum naturaliter prius possit esse sine posteriori, non econtra, 5 Metaphysice, sequitur quod illud corpus posset illic esse sine Deo, non econtra; tum quia corpus esse illic presupponit Deum creare vel creasse ibidem corpus illud, sed Deum creare illic presupponit Deum esse ibidem, igitur corpus esse illic non est prius quam Deum esse illic. Esset enim prius naturaliter ibi quam Deus crearet illud.

Item, contra responsionem probo quod non minus, immo magis dicendum tunc est Deum mutari localiter quam corpus, quia mutari localiter est se habere nunc et prius, aliter et aliter secundum locum, et esse nunc et prius alibi et alibi. Sed hoc non convenit illi corpori, quia cum prius nihil esset sequitur quod nullibi erat, nec advenit noviter ad locum. Sed Deus prius existens alibi advenit, et accedit noviter ad spatium in quo non erat, et deserit locum in quo prius erat.

Quarto, Deus potest esse extra celum absque positione alicuius creature ibidem, igitur iam actu existit illic. Consequentia probatur, quia si Deus non sit extra celum et potest ibi esse sine positione creature. Ponatur in esse, tunc sequitur quod Deus mutatur seu sequitur Deum mutari. Probo, quia esset transitus contradictionis, igitur mutatio in aliquo, non in creatura, quia ibi non ponitur esse, igitur in Deo. Antecedens probatur, quia angelus potest esse extra celum sine corpore. Probo, quia si Deus crearet ibi angelum cum corpore, potest annihilare illud corpus conservato angelo non moto, ut si angelus sit in aere medio alicuius domus, potest Deus parietibus non motis, et angelo non moto annihilare aerem, et remaneret angelus in vacuo spatio sine corpore, igitur et potest simpliciter esse extra celum, igitur pari ratione Deus potest ibidem esse cum corpore, et post modum annihilato corpore non desinet Deus illic esse, sicut nec necesse erat angelum desinere esse, et ita Deus posset esse pluries in eodem situ potentiali imaginativo cum interruptionibus et successionibus.

Quinto, Deus est extra celum pro potentiam, igitur est ibi per essentiam et presentiam. Antecedens patet, quia potest agere aliquid ibidem. Consequentia probatur, quia propter infinitatem et immensitatem potentie sue est illic secundum potentiam, sed non minus est infinitus et immensus secundum essentiam, igitur sua immensitas est ratio essendi illic secundum essentiam.

Sexto, sicut eternitas ad esse semper, sic immensitas ad esse ubique. Sed Deus ratione eternitatis fuit semper ab eterno [329a] pro tempore infinito imaginario, ergo ratione immensitatis fuit ab eterno ubique in spatio imaginario infinito.

Septimo, Deus ex eo quod est perfectionis infinite est tam perfectum quod maius eo cogitari non potest. Et quia est bonum infinitum melius eo sine contradictione cogitari non potest, et quia est eternus tantum durat quod aliquis plus durare non potest cogitari. Igitur, cum sit infinite immensus est presens tanto spatio, quod in maiori spatio aliquid esse cogitari non potest. Si autem sit tantum presens spatio in quo intelligitur mundus iste aliquid esse in maiori spatio cogitari potest faciliter absque contradictione, igitur.

Octavo, quod non est imperfectionis, nec derogat, sed potius consonat divine perfectioni et immensitati non est Deo denegandum. Sed Deum esse in spatio infinito imaginario extra mundum est huiusmodi. Magis enim consonat infinite eius magnitudini, de qua Psalmista

“Magnitudinis eius non est finis”, immo oppositum videtur derogare eius immensitati, quia si sit precise in tam parvo spatio in quo est mundus, igitur diffinitur et determinatur et concluditur loco, quod est contra Magistrum in distinctione presenti. Patet etiam ex nomine immensitatis. Immensus enim idem est quod non mensus, nec mensuratus. Eius autem existentiam et presentiam esset mensa et commensurata adequate magnitudini finite huius mundi. Confirmatur, possibile esset creaturam esse ubi quam non minus quam sit Deus, quia posset esse presens toti mundo, nunc existenti, quia angelus vel corpus potest poni in pluribus locis.

Nono, ad hoc videntur plures auctoritates. Primo, illud Baruch. tertio capitulo “O, Israel, quam magna est Domus Dei et ingens locus possessionis eius magnus, et non habens finem, excelsus et immensus”.

Item, 3 Regum 8, “celum et celi celorum te capere non possunt”.

Item, Iob 2, “excelsio et celo est et quid facies profundior inferno, et unde cognosces longior terra, mensura eius et latior mari”.

Item, Ecclesia cantat: “Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis etc.”

Item, Augustinus 8 Super Genesim, capitulo ultimo, “Deus potentia sua excellenti et incommutabili est interior omni re, quia in ipso sunt omnia et exterior omni re, igitur secundum Augustinum est in omnibus et extra omnia.

Item, per dictum Hermetis, “Deus est sphaera cuius centrum est ubique, et circumferentia nusquam”. Et idem, “Deus est sphaera cui tot sunt circumferentie quot puncta”.

Decimo, hec videtur intentio Augustini 2 De civitate, capitulo 5, dicentis sic: “Querentibus Deus mundi tempore cur potius tunc, et non antea factus sit dicamus quid ipsi respondeant de mundi loco. Nam si infinita spatia temporis in mundum cogitant in quibus, non videtur eis Deus ab opere cessare potuisse. Similiter, cogitant extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quis dicat non potuisse vacare omnipotentem, consequens esset, ut innumerabiles mundos formare cogatur, sequitur and forte substantiam Dei a tantis spatiis locorum extra mundum absentem esse dicturi sunt. Et uno tantum tam exiguo loco in quo mundus est esse occupatam. Non opinor eos in hec vaniloquia progressuros”, hec Augustinus.

In oppositum, frustra et inconvenienter ponitur Deus esse actu presens ei, quod omnino nihil est, nec potest esse aliquid magis quam chymera. Sed spatium infinitum extra celum est huiusmodi, igitur. Maior probatur, quia aliter diceretur convenienter Deus esse actualiter in chymera et hyrcocervo et figmentis. Minor probatur, quia vel est actu productum vel producibile et in potentia. Non primum, quia aliquod infinitum esset actualiter productum a Deo ab eterno. Non secundum, tum quia ponatur produci, et esset aliquid positivum, et tamen esset vacuum ut nunc, tum quia si sit aliquid tantum in potentia producibile, igitur Deus non est actu presens illi vel in illo, quia Deus non est in creatura creanda, ut in Antichristo futuro. Ex quo secundo arguitur sic: Deus ante mundi creationem non erat presens actualiter creaturis futuris, nec actualiter erat in eis, igitur nec in huiusmodi spatio. Consequentia probatur, quia huiusmodi spatium non minus est **[329b]** omnino et proprie nihil quam creatura creanda, immo magis, quia impossibile est ipsum esse aliquid preter Deum et creaturas causabiles effective a Deo.

Tertio, vel huiusmodi spatium infinitum est omnibus intelligibile positivum aut privativum. Non primum, quia esset actu quantum positivum, infinitum, eternum. Si secundum, igitur alicuius positivi, privativum et non nisi quanti infiniti corporis. Sed Deus non est in privationibus rerum causabilium, et ultra cum privatio tollatur per positionem positivi cuius est privatio, igitur positio huius mundi est remotio huius spatii imaginarii in quo Deus prius intendebat mundum creare, igitur mundus iste non est nunc presens illi spatio, quia non est presens sue privationi, igitur nec Deus est nunc presens illi spatio in quo ab eterno voluit mundum creare.

Quarto, vel huiusmodi spatium habet actu formaliter et veraciter differentias distinctas quasi partes et portiones sui, aut non. Si secundum, igitur fictio et falsum est dicere quod mundus iste sit in quadam parte vel portione vel differentia illi spatii tantum, et quod aer sit in alia portione eius et ignis in alia. Si primum, contra tum per Aristotelem 4 Physicorum, quia penitus nihil est nec substantia, nec accidens, tum quia esset actu quantum infinitum, tum quia esset primo et essentialiter locus et convenientius quam superficies continens, quia ei primo et essentialiter et immobiliter et invariabiliter convenirent differentie positionis secundum quas corpus locabile natum est esse alibi et alibi, et secundum quarum immobilitatem attenditur primo immobilitas loci et identitas vel diversitas formaliter locorum. Hec enim superficies ambiens non erit formaliter et immobiliter hic locus, nisi ut in hac differentia talis spatii.

Quinto, sicut eternitas ad semper esse sic immensitas ad ubique esse. Sed Deus non erat ratione eternitatis presens actu tempore infinito imaginario a parte ante, quia tempus nihil omnino erat, sicut nec est modo actualiter in tempore infinito futuro imaginario, sicut nec est actu in Antichristo futuro, licet ista sint presentia ei tamquam cognitum obiectum virtuti cognoscenti, igitur nec ratione immensitatis erat presens actu infinito spatio imaginario.

Sexto, frustra et inconvenienter ponitur Deus actualiter esse presens illic ubi nihil agit, nec unquam egit, nec unquam aget.

Septimo, possibile est Deum nunc actualiter agere in toto spatio in quo nunc est actualiter, igitur possibile est ut nunc actualiter agat per totum spatium infinitum. Infinitas enim potentie non minus potest agere ubique quam immensitas sue essentie est potens esse ubique, igitur possibile est ut nunc sit actu corpus infinitum, ex omni differentia positionis consequens supponitur nunc esse impossibile.

Octavo, non est ponenda pluralitas, immo infinitas sine necessitate, igitur non sunt ponenda infinita spatia et infinite presentie Dei ad illa infinita spatia. Si quis autem dicat quod huiusmodi spatium imaginarium infinitum est ipse Deus. Contra: tum quia in huiusmodi spatio intelliguntur differentie positionis secundum quas hoc corpus dicitur esse hic in hac portione illius spatii, et alia pars mundi in alia, et secundum cuius immobilitatem dicit locus iste immobilis; tum quia si Deus causaret alium mundum extra istum sequitur quod non esset in alio loco huius spatii, immo in eodem spatio, et secundum idem esset iste mundus, et ille quod est falsum, quia hoc repugnat rationibus partis adverse, tum quia dicere Deum esse in huiusmodi spatio non esset formaliter, nisi Deum esse in seipso. Sed hoc salvatur, esto quod non sit extra celum, nec per hoc evaditur quod Deus non sit mutabilis secundum situm, tum quia Deus esset locus et vacuum infinitum, tum quia destructo aere huius domus Deus formaliter non est vacuum spatium inter parietes.

Respondeo. Prima propositio est ista: Deus non est actualiter presens in spatio extra celum. Probatur: illud tamquam probabilius videtur ponendum, quod magis consonat positioni philosophorum, et quod foret ponendum ab homine precise stante in lumine naturali rationum naturalium, si illi non obviat fides vel Scriptura Sacra vel determinatio Ecclesie, vel doctrina sanctorum. Patet: sicut enim in his que sunt iuris et iustitie, si sit aliquod dubium non sufficienter terminabile per iura positiva scripta, recurrendum est ad ius naturale, sic in dubiis

non sufficienter terminabilibus per scripturas canonicas videtur dicendum conformiter rationi naturali. Sed Deum non esse extra celum habent ponere Philosophi, et homo utens precise ratione naturali, nec hoc obviat fidei, vel doctrine sanctorum. Probo, quia ut recitat Magister distinctione presenti, capitulo 3, “aliqui quesierunt a doctoribus sanctis ubi erat et habitabat Deus ante mundi creationem, et recitat responsionem Augustini libro 2 Contra Maximinum, capitulo 21, quod “Deus erat in se et habitabat in seipso, et apud seipsum, nec invenitur responsum a sanctis quod esset in spatio infinito”. Magister etiam in presenti distinctione non respondet quod Deus esset in huiusmodi spatio infinito, sed in seipso. Si tamen Deum esse in huiusmodi spatio infinito foret verum, etsi sancti reputassent necessarium esse secundum veritatem fidei dicere quod Deus sit in huiusmodi spatio, non videtur quin hanc responsionem dedisset, quia hec responsio offert se statim intellectui cui sit ista questio.

Preterea, doctores antiqui videntur magis assentire isti parti. Nam magister Alexander de Halis in prima parte Summe, questione 47, ubi inquit an Deus sit extra celum, dicit quod Deus non est ubique ab eterno secundum actum, sed secundum potentiam.

Item, Bonaventura Super primum Sententiarum, distinctione presenti, dicit quod Deus non est actu extra celum, cum extra celum nihil sit.

Item, magister Iohannes Scotus, distinctione eadem, dicit quod non est imaginandum spatium infinitum ante mundi creationem, quasi ibi fuerit Deus presens per essentiam, immo non ut alicui presens per essentiam fuit potens facere mundum.

Item, dominus Guillelmus Altissiodorensis, primo libro circa finem, dicit quod “Deus est extra mundum”. Sed exponens et explicans qualiter hoc sit verum dicit quod “Deus est extra mundum potentia, quia si infiniti mundi essent, Deus omnes illos replet. Est etiam quodam modo extra mundum actu, quia est in seipso qui maior est mundo. Deus enim sibiipso locus est”, hec ille.

Secunda propositio: non est possibile Deum esse actualiter in spatio infinito extra celum. Probatur, quia si sit possibile, igitur possibile est Deum actualiter agere per totum huiusmodi spatium infinitum, igitur possibile esset esse nunc actualiter corpus infinitum ex omni differentia quod pro nunc supponitur falsum.

Tertia propositio: possibile est Deum esse extra celum nulla creatura tunc existente et presente actualiter extra celum. Probo, quia Deus potest creare *b* creaturam extra celum, et esset illi Deus presens, sed potest illam destruere, nec tamen desineret necessario Deus esse illic. Probo, quia posset seipsum angelicum creare extra celum sine aliqua alia creatura, quia si foret ibi angelus cum corpore Deus posset anihilare illud corpus angelo non moto, igitur et Spiritus divinus posset esse extra celum cum creatura, nec desineret illic esse ad destructionem creature. Posset enim Deus non minus quam angelus esse in medio vacuo huius domus anihilato aere.

Quarto propositio: non est possibile Deum nunc fieri, vel esse extra celum, nisi aliqua creatura sit vel fuerit noviter posita extra celum. Probatur quia esset transitus contradictionis de non esse extra celum ad esse extra celum, igitur mutatio et non in creatura, igitur in Deo.

Quinta propositio: Deo existente extra celum sine creatura sibi tunc actualiter presente non est possibile ipsum non fieri extra celum, nisi fiat nova **[330b]** positio creature. Et iterum remotio eiusdem creature. Probatur, quia aliter esset transitus contradictionis sine mutatione in creatura, igitur in Deo.

Ad primum, pro parte affirmativa negatur antecedens, quia sancti interrogati ubi Deus erat non leguntur hanc responsionem dedisse, que tamen si foret vera et conveniens poterat eis faciliter occurrere. Ad probationem, negatur consequentia, imaginatio enim nostra interdum est falsa et ficta, sic etiam non imaginamur huiusmodi spatium, nisi per modum quanti et extensi habentis differentias positionis sine tamen qualitate. Sic etiam inter latera continentis imaginamur spatium divisibile secundum tres dimensiones et receptaculum corporum, et habens differentias positionis, cum tamen omnino nihil subsit huiusmodi imaginationi.

Ad secundum, negatur antecedens, immo si verum est Deum habere nunc presentiam actualem ad spatium aliquod in quo intelligatur esse mundus iste, tunc diceretur quod Deus simul incipit esse presens illi spatio et mundo. Unde, magister capitulo penultimo dicit quod Deus sine sui mutatione incipit esse in mundo cum creavit illum. Ad probationem primam, negatur consequentia, ut infra dicetur.

Ad secundam, negatur assumptum, nam ut dicit magister Iohannes Scotus, distinctione presenti, cum agens creatum agat etiam ubi non est presens per essentiam si Deum agere hic per



omnipotentiam, et Deum esse hic per immensitatem essentie forent distincta et separabilia Deum agere hic non inferret per se Deum esse hic, ideo Deum agere hic per omnipotentiam non preexigit Deum esse hic per essentiam. Circa quod sciendum quod cum dicitur agere hic presupponit esse hic et prius est esse hic quam agere hic si per li 'hic' demonstratur aliquod positivum, puta locus vel aliqua creatura. Negatur illud loquendo universaliter de agere secundum quod agitur hic non solum transitive, id est in hoc loco, sed etiam agitur hic intransitive, id est hic locus agitur. Si vero per li 'hic' demonstratur spatium vacuum, tunc si intelligatur de priori a quo non convertitur consequentia. Conceditur quod Deum esse hic est prius quam agere Deum hic. Si vero de priori secundum causalitatem vel presuppositionem vel preexigentiam que terminat dependentiam vel indigentiam negatur. Hee responsiones dicte sunt loquendo conformiter magis dictis sanctorum.

Sed aliter ad primum et ad secundum potest dici quod sicut Deus ab eterno habuit in suo prospectu obiective tempus infinitum, et quantum extensive infinitum undiquaque, et per hoc potuit ab eterno se determinare ad certum quando, et ad certum ubi de productione mundi, et tamen contingenter et libere se determinavit. Sic illius quanti infiniti in suo prospectu positi elegit contingenter et libere certam portionem cui quasi presens fieret mundus iste. Et sicut poterat creare mundum tante quantitatis vel duple, vel triple etc., tamen libere determinavit se ad certam quantitatem. Sic quamvis posset ab eterno esse quasi presens tanto vel tanto spatio imaginario. Elegit tamen ab eterno esse quasi presens tanto quantum correspondet mundo creando, sicut de angelo existentem medio domus anihilato aere.

Ad tertium, negatur prima consequentia. Ad primam probationem, negatur illud specialiter de agere secundum quod agitur ipse locus, et ipsum ubi.

Ad secundam, negatur consequentia. Ad probationem aliquid esse nunc ibi, et prius non fuisse, sed alibi contingit dupliciter. Uno modo, per novum accessum et adventum ipsius ad locum preexistentem, et eodem **[331a]** modo non esse ubi prius potuit intelligi per recessum a loco remanente, et sic Deus non fuit noviter in loco, nec recedit a loco. Alio modo, per novam positionem vel desitionem loci, et sic non oportet illud mutari localiter proprie.

De responsione ibi posita, si per hoc quod dicitur Deum esse ibi noviter ratione corporis, et per novam positionem, et presentiam corporis denotetur aliqua causalitas in creatura respectu divine

potentie negatur. Si vero denotetur necessaria consequentia potentie divine ad positionem ipsius corporis, negatur consequentia secundum quod posterius sit ibi Deus quam corpus, sicut Deus non est naturaliter posterius Dominus vel causa finalis vel causa noviter effectiva creature quam creatura sit. Notandum, tamen quod loquendo de priori natura a quo non convertitur consequentia, vel quod potest esse sine altero non econtra, ut dicitur 5 Metaphysice. Deus est prius ibi quam corpus. Loquendo autem de priori causalitate vel presuppositione vel preexistentia terminante dependentiam et indigentiam, adhuc Deum esse hic est prius naturaliter, tamen improprie in quadam similitudine posset dicit corpus ibi prius esse, quia Deus non esset ibi nisi crearet aliquod corpus, sive posset ibi esse sine corpore sive non.

Ad aliud, contra responsionem: neutrum est proprie mutatum localiter, tamen corpus magis convenienter vel minus inconvenienter dicitur tunc mutari quam Deus, quia transibit de non esse ad esse simpliciter.

Ad quartum, si intelligitur absque positione creature presente, vel preterita negatur antecedens. Si vero absque positione creature necessario semper concomitante existentia Dei extra celum negatur consequentia. Patet ex 4 et 6 propositionibus.

Ad quintum, Deum esse extra celum per potentiam potest intelligi, quia potest ibi operari, et sic negatur consequentia. Alio modo, quod sit ibi per actualem causalitatem effectivam, et actualem usum et exercitium potentie active, puta actu causando vel conservando, et sic negatur antecedens. Ad probationem consequentie: omni potentie repugnaret quod non posset illic agere. Similiter, immensitati essentie quod non posset ibi esse, sed immensitati eius non repugnat quod sit ibi in actu, nec omnipotentie repugnat quod non agat ibi in actu. Occasione huius argumenti sciendum quod secundum Magistrum distinctione presenti, "Deus dicitur esse ubique per essentiam, presentiam et potentiam, quod dupliciter intelligi potest. Dicitur enim esse ubique per essentiam, eo quod quelibet alia essentia est quedam participatio divine essentie, et derivatio et vestigium et quasi rivulus cuius fons est divina essentia. Secundo, per presentiam, id est indistantiam et simultatem. Tertio, per potentiam, id est virtualement et effectivam causalitatem. Alio modo per essentiam, quia per essentie indistantiam et non solum agit hic, sed essentialiter est hic, ut anima in corpore circumscripta informatione. Secundo, per presentiam, id est intuitivam visionem. Tertio, per potentiam, id est dominationem et operationem et actualem causalitatem effectivam et conservativam et finalem.

Ad sextum, videtur ratio in oppositum. Negatur igitur minor, non enim fuit actualiter in illo tempore imaginario, vel presens illi. Sed tante et talis immensitatis est et eternitatis, quod si tempus infinitum et locus infinitus essent ab eterno, Deus illis coexisteret.

Ad septimum, negatur consequentia, quia si sine contradictione posset cogitari aliquid posse maius et melius sequitur quod Deus esset ens diminutum. Sed sicut si non agit tot, quin plura agere cogitari posset, non sequitur ipsum non esse omnipotentem. Si vero non possit agere nisi tot quot posse produci demonstrando, et ultra cogitari potest, inferretur esse non omnipotens, ita si non sit presens tanto spatio, quin aliquid esse presens maiori spatio cogitari possit, non sequitur ipsum non esse immensum. Sed si non potest esse presens nisi determinato spatio finito, et aliquid esse in maiori cogitari posset, inferretur non esse immensus.

Ad octavum, illud quod non est imperfectionis est attribuendum Deo secundum actum vel potentiam, ut producere plures mundos et quia esse extra celum non est imperfectionis, ideo est attribuendum Deo secundum actum vel potentiam, sed non oportet quod secundum actum, sicut nec creare alium mundum. Esse autem extra celum in spatio infinito non est perfectionis, sed est repugnantie et impossibilitatis, et infert imperfectionem in Deo, quia infert Deum esse actualiter presentem tanto spatio in quo Deum agere per totum est impossibile, et cum dicitur quod diffineretur et concluderetur loco, negatur proprie loquendo ad intentionem sanctorum, quia diffiniri et concludi loco est esse sic in quodam loco, quod non esse in omni loco, nec posse esse ex se in omni loco, et locum posse esse sine ipso. Sed Deus dicitur immensus et non mensurabilis, vel commensuratus loco, quia non est locus possibilis quin Deus possit ex se coexistere duplo maiori, immo nec potest esse locus sine eo.

Ad confirmationem, si consequens intelligitur de possibili, et per accidens conceditur, quia possibile est quod non esset nisi unicus angelus, vel unicum corpus continuum, et illi soli Deus esset presens, tamen immensitas et esse ubique repugnat creature eo modo quod convenit Deo.

Ad nonum, Baruch per donum Dei intelligit ipsum Deum, ut est continens infinitam perfectionem formaliter, et ut continens infinitas creaturas eminenter et virtualiter, et sic dicitur hec domus non habere finem, quia non est perfectionis et continentie finite, vel loquitur de domo celesti, et celi empirei in quo est habitatio omnium beatorum, et hec non habet finem sue

durationis. Hec etiam non habet finem, id est gradum finitum perfectionis propter beatitudinem obiectivam infinite bonitatis et iocunditatis.

Ad aliud, celi non possunt capere Deum quasi sint locus sufficienter adequativus et commensurativus divine immensitatis, quasi Deus non possit ex se esse in maiori loco, immo quotquot essent mundi, adhuc sic Deum capere non possunt. Per idem ad alia.

Ad Augustinum, Deus dicitur excellentior omni creatura, quia independens a creatura nec indigens ea ad sui perfectum esse.

Ad dictum Hermetis, illud dictum est metaphoricum et yperbolicum. Si enim accipiatur ut sonat, includit contradictionem, quia si circumferentia nusquam, igitur nulla est circumferentia eius, igitur non est sphaera, et si centrum est ubique, sequitur quod eius non est centrum. Dicendum quod Hermes volens innuere magnitudinem divine perfectionis esse tantam, quod ab homine esse sufficienter explicari vel intelligi non posset, ait quod “est sphaera cuius centrum etc.”, cum centrum sphere sit infinitum minus quam circumferentia. Si Deus sit sphaera cuius centrum sit ubique, reliqua magnitudo intelligi vel explicari non potest.

Ad decimum, Augustinus non intendit ponere extra celum infinita huiusmodi spatia, quibus Deus sit presens, sed illi qui querebant quare Deus tunc inchoavit mundum, ponebant infinita tempora ab eterno fluxisse, ideo videbatur eius inconveniens Deum otiose vacasse in illis temporibus infinitis, et consequenter dicebant etc. Augustinus autem ex dictis eorum infert quod pari ratione extra mundum istum erant loca infinita ante mundi creationem, et si dicant non esse inconveniens Deum non egisse in illis infinitis locis, sed tantum in parte illius, ita dicetur eis de temporibus. Si vero dicant talia spatia et loca non esse extra celum, ita dicetur eis quod ab eterno usque ad creationem mundi non fluxerunt, nec fuerunt tempora in quibus Deus vacaret otiosus. Unde, Augustinus ibidem sic ait: “cum igitur unum mundum et finitum suo loco determinatum a Deo factum esse dicant quod respondent de infinitis locis extra mundum, cur in eis Deus ab opere cesset hoc respondeant de infinitis ante mundum temporibus, cur in eis Deus ab opere cessaverit, sequitur quod si dicant inanes hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit preter mundum. Respondetur eis isto modo inaniter cogitare preterita tempora vacationis Dei, cum tempus nullum sit ante mundum”, hec

Augustinus. Sic igitur loquitur Augustinus ex suppositione quod si infinita loca sint extra celum, Deus est presens illis.

Dubium an stando in lumine naturali ponendum sit Deum esse ubique per actualem indistantiam sue formalis essentie. Dicendum quod non, quia nec alie intelligentie arguuntur esse hic, licet earum causalitas extendatur usque huc. Non enim oportet activum esse presens culibet passivo et effectui suo per indistantiam omnimodam.

Item, non ponitur convenienter in certa parte corporis celestis. Sed per totum corpus primum et maximum convenientius enim est quam quod existens in certa parte moveatur continue ad motum illius partis, vel quod sibi succedant per presentiam alie et alie partes celi.

Item, non esset ratio quare precise tante parti celi esset presens. Ad argumentum in principio questionis concedendo quod Deus intelligit illud eo modo quo intelligibile est sine imperfectione. Sed intelligere huiusmodi spatium infinitum non est secundum veritatem, nisi intelligere quantitatem infinitam abstrahendo a qualitatibus, sicut intelligere durationem infinitam habentem prius, et posterius non est nisi intelligere tempus et successionem actualem vel potentialem, vel intelligere aliquid in habitudine ad huiusmodi tempus. Et intelligere huiusmodi spatium esse, non quantum actuale, nec potentiale est intellectio figmenti implicans contradictionem. Negatur igitur consequentia. Ad probationem, dicendum quod huiusmodi spatium infinitum parti dicit intelligibile potentiale, partim dicit figmentum, nam secundum partes imaginarias finitas acceptibiles dicit quantum finitum potentiale, et quocumque tali accepto finito possibile esset causari maius, sed esse quantum dimensionum infinitum ex omni differentia habens differentias positionis est impossibile.